& istud maxime uerum ē qñ fleubothomia fit de uenis brachii:nã fleubothomia facta de uenis pedũ nõ sic retinet:põt tñ p accidẽs cõtingere qđ ad fleubothomiã sequat maior fluxũ uẽtris: & hoc duplr: Prío qa ex fleubothomia facta tollit onus nature:tũc.n. uirtus confortata aliqñ puocat alias euacuationes. Secũdo si fluxus uẽtris fiat ex multa debilitate uirtutis cõtẽtiue:tũc.n.qa ex fleubothomia debilitat uirtus:magis augebit fluxus uẽtris. Sextũ ē q fleubothomia facit puros sensus:qa minuit euaporationẽ ad caput uñ turbant sensus. Septimũ ē q ipsa iuuat somnũ ĩpeditũ:qa p ipam euacuantur humores plurimi a quibus eleuant uapores acuti & diuersi impediẽtes somnũ. Octauũ est q ipsa tollit tedia & grauitates nimias: qa p ipam uirtus exonerat a suo grauamine & ẽt educto p ipam sanguinẽ educit simul melãcolia fex sanguis q̃ ĩducit tedia & grauitates. Nonũ ē q ipa cõfert auditui qa p ipsam diminuunt uapores & humores ascẽdẽtes ad caput ĩpediẽtes auditũ. Decimũ est q ipsa confert uoci:qa p ipam diminuunt supfluitates & hũiditates q̃ possent puenire ad pectus uel cãnã pulmonis & ĩpedire uocẽ. Vndecimũ ē q ipsa auget uires:qa p ipam corpus a suo grauamine exonerat q̃re uirtus augmẽtat.

Tres insunt istis mayus september aprilis
Et sunt lunares sunt uelut ydra dies.
Prima dies primi postremaq3 posteriorum
Nec sãguis minui nec carnibus anseris uti
In sene uel iuuene si uene sanguine plene
Omni mense dene confert incisio uene
Hii sũt tres mẽses mayus septẽber aprilis
In quibus eminuas ut longo tpe uiuas

In hoc textu autor tria facit. Prío dicit q isti tres mẽses.s.mayus september aprilis sunt mẽses lunares & in eis sunt dies phibiti a fleubotomia: uidelicet prima dies maii: & ultía septẽbris & aprilis: & istud coẽs dicũt:uerũtñ ē dcm̃ fictũ:nec alicuius ualoris:imo pdicti

dies pñt esse ita boni & electi sicut & alii. Secũdũ ꝙ diuersa cõstel/
latio ĩ eis põt esse. Et subdit autor qđ in talibus dieb⁹ nulli uesci de
bẽt carnib⁹ anseris: qđ ẽt falsum est & erroneũ & magis sortilegio
attribuẽdũ: & forte autor & istud habuit a iudeis qui istũ ritum ob
seruant. Secũdo dicit qđ senex senectute & nõ a senio & iuuenis ue
nas plenas hñtes sanguine minui pñt oĩ mẽse: quia isti non faciliter
resolubiles sunt: nec in eis solũ paucus ẽ sanguis bonus: imo mult⁹.
Tertio dicit qđ ĩcisio uene ꝓ regimine sanitatis custodiẽdo debet fi
eri in aliquo istoꝝ triũ mẽsiũ: qui sunt mayus septẽbris & aprilis:
differẽter tñ: q̃a in aprili & mayo debet ĩcidi uena epatis ꝑꝑ multi/
plicationẽ sanguis eo tpe: cũ sit tp̃s uernale: & in septẽbri uena sple
nis ꝑꝑ melãcoliã que tũc hẽt multiplicari: cũ sit tp̃s autũnale.

Hic autor põit. xii. q̃ ĩpediunt fleubothomiã. Primũ est frigiditas cõplexiõis. Cũ. n. secundũ Gal. in megategni fleubothomia infrigidat tũc augmẽtaret

Frigida natura frigens regio: dolor ingẽs
Post lauacrũ coitũ minor etas: atq; senilis
Morbus ꝓlixus repletio potus & esce
Si fragilis uel subtilis sensus stomachi sit
Et fastiditi tibi non sunt fleubothomãdi

frigiditatẽ: cã aũt q̃re fleubothomia infrigidat est: qa scd̃m Isaac in
urinis: sanguis est fundamñtũ caloris naturalis. i. illud ĩ quo calor na
turalis seruat᷑: & qa fleubothomia sanguinẽ euacuat: iõ & calorẽ na
turalẽ: & tũc p cõsequẽs ĩfrigidat. Secũdũ regio frigida uehemẽter
sub q̃a debet cõprehẽdi tp̃s multũ frigidũ qđ ẽt ꝓhibet fleubotho
miã: quia ĩ regiõe & tpe multũ frigidis: sanguis ĩ frigiditate corpis
includit᷑: & ille q circa extremitates existit a frigiditate cõdensatur
& ineptus fit ad hoc qđ fluat. Tertiũ est ĩtẽsus dolor sub quo ẽt p̃t
cõprehẽdi nimia corpis ĩflãmatio: qa si ĩ istis accidẽtibus fieret fleu
bothomia sequeret᷑ motus agitatiuus qui ẽ cõtrarius nature: cũ sit

difformis & maior īflāmatio q̄ ēt eſt naturam magis debilitās:& cā
motus agitatiui ī dolore ītēſo ē:qa fit tractus ad diuerſas ptes:p fleu
bothomiā.n.fit tractio ad locū fleubothomatū:& ex dolore forti fi/
eret tractio ad locū doloris:cā uero maioris īflāmationis eſt:quia ex
fleubothomia cōmouent̄ hūores q̄re magis īflāmāt̄ ex motu & iſtđ
uerū eſt qn̄ fleubothomia fit pua & artificialis:ſi tn̄ fiat uſq; ad ſin/
copim ꝓdeſt in p̄dictis caſibus:qa iſta cū uincit attractionē doloris
non facit motum agitatiuū:& ſilr̄ tollit īflāmationē cū nō ſint hūo
res ibi qui cōmoueant̄ & calefiāt & maiorē īflāmationē inducunt.
Et iſtud uoluit Gal̄.ī cō.illius amphoriſmi.i.pti.ampho.q̄ egerunt̄:
cū dixit:qđ nō eſt melior medicina ī apoſtemate uehementis inflā/
matiōis:& ſilr̄ in febribus & dolore forti q̄ fleubothomia. Quartū
eſt balneū & maxīe reſolutiuū:tale.n.ꝓhibet fleubothomiā:quia ta
le ēt ē euacuatiuum iā natura nō facile tolerat euacuationē ſup eua
cuationem.Quintū eſt coitus īmediate p̄cedēs:poſt talē.n.nō ſtatī
debet fieri īciſio uene:qa ex hoc maxīa debilitatio nature ſeq̄ret̄: cū
p coitū prius natura debilitata ſit.Sextū ē etas maior uel minor q̄
reqrit̄ ad fleubothomiā:ſicut etas infantie & etas ſenii:ꝓut declara
tū eſt prius.Et iſta impedimēta tāgit Aui.lo.pal.dicēs: tibi quoq; ca
uere debes a minutiōe ī cōplexiōe uehemētis frigiditatis: & ī regiōī
bus fortis frigiditatis:& in hora fortis doloris:& poſt balneū reſo/
lutiuū & poſt coitū & in etate que eſt minor.xii.annis ſenū q̄to ma
gis poteris:niſi ī figura cōfiſus fueris & ī ſoliditate muſculoꝝ & ue
naꝝ amplitudine/& eaꝝ repletiōe & coloris rubedine/& ulteri⁹ ſub
dit/hos nāq; ex adoleſcentibus/ & ſenibus fleubothomare audebis;
Adoleſcētes tn̄ ſecūdū ordinē ad fleubothomandū paulatim ꝓue/
here debes cū pauca minutiōe.Septimū eſt morbus ꝓlixus/ qa tūc
ex tali fleubothomia natura duplr̄ debilitat̄/puta a morbo ꝓlixo &
a minutiōe.Et iſtud eſt ueꝝ ſcđm Aui.lo.pall̄.Niſi ſanguis affuerit

t

corruptio q̃a si sic fleubothomia põt cõuenire. Octauũ est nimia re
pletio potus. Nonũ est nimia repletio cibi: sub q̃ ẽt cõphendit indi-
gestio cibi. Et cã hoꝝ est qa scđm Aui. in. i. attrahẽtia sunt tria. s. ua
cuũ: calidũ: & tota spẽs. Si ergo uene p fleubothomiã a sanguĩe eua
cuarẽt cibũ ĩdigestũ uel supfluũ siue potũ supfluũ a stomacho uel
epate attraherẽt q ĩdigestus ueniẽs ad mẽbra nõ corrigeret: qa ter-
tia digestio nõ corrigit pctm̃ secũde: nec secunda prime: si pctm̃ sit
magnũ pp qđ ĩ mẽbra nõ cõuerteret: sed ibi remanẽs posset eẽ cã
egritudinis. Decimũ est fragilitas. i. debilitas uirtutis: fleubothomia
enĩ est fortis euacuatio scđm Gal. ii. amphorismoꝝ ĩ cõmẽto illius.
In quo morbo: sed uirt⁹ debilis nõ põt pati motũ fortẽ. Vndecimũ
est subtilis sensatio orificii stomachi: q̄ p̃cordiũ dr: qa ex fleubotho
mia ĩ tali stati sequit sincopis. Et sub isto ẽt cõphẽdit debilitas sto-
machi & facilis fluxus colere ad orificiũ eius ĩducẽs ad uomitũ fa-
cilẽ colere. Vñ ĩ hñtibus p̃dicta accidẽtia nõ cõuenit fleubothomia.
Per fleubothomiã. n. humores cõmoti ad os stomachi ĩducerent tãq̃
ad locũ cõsuctũ: & qa ẽ mẽbrũ debile & ĩpotẽs illi fluxui resistere:
iõ illis multa mala p fleubothomiã accidũt. Et hoc ẽ una cã q̃re qñq;
aliq ĩ fleubothomia sincopãt. s. qa colera ad stomachũ fluit q̃ mordi
cãdo stomachũ ex cõpassione cordis & stomachi sincopim inducit.
Duodecimũ est fastidiũ. Si. n. ĩ fastidio fieret fleubothomia cũ uene
euacuarent traherẽt ad se materiã malã faciẽtẽ fastidiũ. Et plurima
istoꝝ sex ultimoꝝ accidẽtiũ tãgit Aui. lo. p̃all. & circa istud est sciẽ
dũ q̄ p̃ter p̃dicta accidẽtia sunt adhuc aliq̃ alia ẽt ĩpediẽtia fleubo
thomiã: quoꝝ. Primũ est alia euacuatio ut qñ est fluxus mẽstruoꝝ
aut emorroydaꝝ: tũc. n. nõ debet fieri fleubothomia: & hoc ad eua-
cuationẽ: licet ad diuertẽdũ fluxũ seu materiã posset fieri. Secũdũ
est corpus siue cõpositiõis raritas: qa a corpib⁹ raris multũ dissolui
tur: & iõ sufficit ista resolutio nec euacuatiõe ĩdigẽt: ut uult Gal. ix.

megategni. Tertiũ est humorꝝ cruditas & uiscositas: tũc.n. est cauẽ/da fleubothomia: qa augmẽtaret cruditas humorꝝ: & pp hoc ĩ mor bis lõgis nõ est faciẽda fleubothomia: qa cruditas humorꝝ augmẽta ret & uirtus debilitaret & morb⁹ ꝓlõgaret: & iõ timẽdũ eẽt de ca/su uirtutis: & pp hoc uult Aui. ꝙ ĩ morbis cronicis faciẽda est far/macia añ fleubothomiã & nõ fleubothomia añ faciẽda: licet utroqꝫ ĩdigeãt patiẽtes: sed cruditas humorꝝ põt accidere duab⁹ de causis: una cã est pp abũdãtiã humorꝝ calorẽ naturalẽ suffocãtiũ q debili tatus & suffocatus humores crudos generat: & tũc bñ cõpetit fleu/bothomia. Vñ scđm Alexãdrũ. ii. lib. suo ca. de ydropisi: fleubotho/mia ĩ prĩcipio ypozarce cõpetit cũ ꝓuenit ex multitudine sanguis mẽstrualis cũ ꝓhibeant fluere mẽstrua pp cãm aliquã: aut ex multi tudine sãguis emorroydalis: qa sicut ignis paru⁹ sub multa lignorꝝ cõgerie suffocat: silr est de calore ĩnato suffocato sub humorꝝ mul/titudine. Secũda cã cruditatis humorꝝ ẽ caloris ĩnati debilitas ut in illis q sũt debilis cõplexiõis: & q habuerũt lõgã egritudinẽ & ĩ seni bus: & tũc non cõpetit fleubothomia: qa p hoc augeret cruditas: qa sanguis ĩ quo calor cõseruat extraheret: & ita corpus infrigidaret & humores magis ĩcrudarent: debet ergo sanguis dimitti ut humo rũ cruditatẽ digerat. Quartũ est aeris indebita dispõ & nimia cali ditas aut nimia frigiditas: qa p caliditatẽ multã fortis fit resolutio: & p frigiditatẽ multa ineptificatio humorꝝ ad fluxũ.

Quid debes facere qñ uis fleubothomari.
Vel qñ minuis fueris uel quãdo minutus.
Vnctio siue pot⁹ lauachrũ uel facias mot⁹.
Debent nõ fragili tibi singula mẽte teneri.

In hoc passu autor ponit quinqꝫ que de/bẽt fieri circa fleubo thomiã aliq̃ qdẽ ante fleubothomiã: aliq̃ in fleubothomia: & aliq̃ post fleubothomiã. Primũ est unctio que aliquãdo fit in fleubotho/

mia:ſicut unctio fleubothomi:ut dolor leniať:aliqñ uero poſt fleu/
bothomiã:ut cõſolidatio uulneris retardeť ad hoc ut poſt fleubotho
miã humores relicti ĩ uenis aliq̃ poſſint hr̃e reſpirationẽ & fumi aliq
mali exalẽt. Secũdũ eſt potus & maxĩe uini q ualet ĩ fleubothomia
ſi ſincopis accidat:& ẽt ualet poſt fleubothomiã pro regeneratione
nouoꝶ ſpirituũ & noui ſanguis:& iſto mõ iã faciũt cões. Tertiũ ẽ
lauachrũ.i.balneũ ꝙ ualet ꝑ duos uel ꝑ tres ante:& ꝑ duos uel tres
poſt fleubothomiã & nõ eodẽ die:añ quidẽ:ſi qs timeat ꝙ hẽat in ſe
humores groſſos:quia balneũ humores diſſoluit & cõmouet eos:&
ꝑꝑ hãc cãm ẽt cõpetit añ acceptio ſirupi acetoſi:& motus ut humo
res diſſoluanť & ſubtilienť:& ergo qñ debet fieri fleubothomia de/
bet fricari brachiũ:ut humores exiſtẽtes in uenis ꝓpinquis brachio
ſubtilienť & ꝑparenť ad exeũdũ facili⁹:poſt fleubothomiã uero ua
let ut reliquie humoꝶ & uapoꝶ derelicta reſoluãť:in die uero fleu/
bothomie nõ cõuenit:qa ꝑ balneũ cutis lenis ſit q̃ lenificat ꝑcuſſio/
nẽ factã in fleubothomia fugit:& hoc eſt periculũ. Quartũ eſt fa/
ſcia.i.ligatura cum pãnis lineis q̃ ualet poſt fleubothomiã ĩmediate
ad retinendũ fluxũ:& añ fleubothomiã ad trahẽdũ humores ad lo
cũ ubi q̃riť fleubothomia ut ex eo ẽt uene ingroſſenť & melius ui/
deanť. Quintũ eſt motus ſiue ambulatio moderata q̃ põt fieri añ
ut humores diſſoluanť & ſubtilienť:& poſt:ad reſoluẽdũ reliquias
humoꝶ ex fleubothomia derelictas. Circa ꝑ̃dicta ſciẽdũ eſt ꝙ cões
faciũt ſe fleubothomare ieiuni:ſed qbuſdã doctoribus melius uř &
cõuenientius:ꝙ añ fleubothomiã:primũ unũ ouũ ſorbeãt molle cũ
uno haſtu uini circa nonã uel decimã horã añ prandiũ:& ſtatim po
ſtea ſe fleubothomari faciãt. Et huius cã eſt:qa ſtomacho uacuo na
tura fortius ſanguinẽ retinet ne deficiat in nutrimẽto:ſed cũ cibus
qui de ſe multũ nutritiuus ẽ ſit ĩ ſtumachõ cuiuſmodi ſũt oua ſor/
bilia & uinũ:tunc natura melius ſanguine exire permittit.

Exhilarat triſtes:irritos placat amētes
Ne ſint amentes fleubothomia facit.

In hoc paſſu autor ponit tres effectus fleubothomie. Primus eſt ꝙ fleubothomia exhilarat.i.letificat triſtē hoiem. Secūdus eſt ꝙ fleubothomia placat iratos:& cā utriuſq; eſt:qa i ſanguine qñ multa cōmiſcetur melācolia fit triſticia:& qñ multa colera fit ira:cū melācolia ſit cā triſticie:& colera ire iā uterq; iſtoꝝ duoꝝ humoꝝ educit̃ eductione ſanguis:qa ei cōmiſcet̃. Tertius eſt ꝙ ꝓhibet amētes ne inſaniāt qa facit humores fluere ad ꝑtes exteriores:& a capite diuertit:pro maiori declaratiōe ſciēdū eſt ꝙ qnq; ſūt cāe ꝑꝑ q̃s debet fieri fleubothomia:q̃ꝝ. Prima eſt directa & alie q̃ttuor idirecte. Pria q̃ eſt directa eſt ut abūdātia ſanguis euacuet̃:ſiue abūdet ſanguis i q̃litate ſiue q̃titate ſiue utroq; mō.nā ſcđm Aui.lo.ꝑal. Duo gña hoium ſūt fleubothomāda:quoꝝ unū eſt ille modus hoium q iā pati ſunt incidere i egritudines:ut q hñt abūdātiā ſāguis i q̃titate:& reliquū genus eſt genus illoꝝ hoium q iā egritudinē iciderūt ꝑꝑ humoꝝ ſiue ſanguis maliciā ſed differt fleubothomia iſta & illa:qa ꝑꝑ ſāguinis abūdātiā debet fieri multa fleubothomia:ſed ſi i q̃litate peccet ſiue ſit malicioſus:tūc cōpetit fleubothomia pauca:uñ ſcđm Gal̃.ix.megategni:ſi ſāguis ſit malus i corꝑe debet euacuari paulatī:& iō peccāt multū illi q qñ uident ſanguinē malū fleubothomāt ſe quouſq; uideāt ſanguinē bonū exire cū forte prius totus ſanguis exire q̃ bonus exiret:ſed debet fieri pauca euacuatio:& tunc ſcđm Gal̃.i caſu iſto:priuſq̃ fiat:fleubothomia debet dieta bonū ſanguinē generans exhiberi ut loco mali ſanguis bonus ſanguis generet̃. Et poſtea debet fieri poſt modicū tꝑs fleubothomia pauca:& ſic deinceps:iſta fleubothomia eſt directa qa fit ꝑ ſe ad euacuationē illius ꝙ ꝑ ſe debet ꝑ fleubothomiā euacuari.ſ.ad euacuationē plenitudinis hūoꝝ: ſiue ſanguis:pricipal̃r tñ ſcđm ꝙ cū eo ſūt alii humores. Prima cā

indirecta est magnitudo morbi & magnitudo apostematis uehemẽ tis iſlãmatiões:qa ſcd̃m Gal'.i cõ.illius ampho.q̃ egerunt &c.Nõ est melior medicina i apostemate uehemẽtis iflãmatiõis & i febribus & dolore forti quã fleubothomia:ut ẽt dictũ est ibi frigida natura.Se cũda cã idirecta est ut attrahat' materia ad ptẽ illã p quã debet eua cuari materia:uñ i retẽtiõe mẽstruoꝝ & emorroydaꝝ debet apiri ſo phẽa ſcd̃m Gal'.& Aui.ut trahat' materia ſanguis ad iferius.Tertia cã idirecta est ut humores trahant' ad locũ cõtrariũ illi loco ad quẽ fluũt hũores:& hoc ad diuertẽdũ materiã a loco ad quẽ fluũt humo res: uñ i nimio fluxu mẽstruoꝝ debet fieri fleubothomia de baſilica ut trahat' materia ad cõtrariũ locũ ad quẽ declinat & diuertat' a ſuo fluxu:& pp hoc i pleureſi ſiniſtre ptis:debet fieri fleubothomia i pte dextra ut diuertat' materia & attrahat' ad locũ cõtrariũ loco ad quẽ declinat:& ſilr ſi ſit in pte dextra debet fieri fleubothomia i pte ſini/ ſtra. Quarta cã idirecta est ut p fleubothomiã una porcio materie euacuet' & natura potẽtior ſit ſupra reſiduũ:& ſic cõpetit fleubotho mia qñ repletio est i corpe ne fiat apoſtema: qa natura est debilis re ſpectu regiminis illoꝝ humoꝝ:iõ una porcio illius materie est eua/ cuãda ne pp ipotẽtiã nature in regẽdo illã materiã.illa materia fluat ad aliquẽ locũ debilẽ in quo aggreget' & apoſtema generet.

In hoc paſſu autor ponit unũ documentũ de quãtitate ſciſſure in

Fac plagã largã mediocriter ut cito fum9
Exeat:uberius liberiuſq; cruor.

fleubothomia. Et dicit ꝙ ſciſſura debet eſſe larga mediocriter ut fu mus & groſſus ſanguis liberius exeãt:quia qñ ſciſſura est ſtricta tũc ſolũ ſubtilis ſanguis exit & groſſus remanet.Circa iſtud est ſciendũ ꝙ aliqñ i fleubothomia debet fieri uuln9 magnũ & aliqñ paruũ:de bet ãt fieri uulnus magnũ trib9 de cauſis.Prio qa humores ſũt groſ ſi:& groſſus ſanguis ẽ euacuãdus ut p illud uulnus magnũ ſanguis

facilius possit exire:& ergo melācolicis faciēdū est magnū uulnus: Secūdo pp tpis frigiditatē φ hūores igrossat.& ergo i hyeme debet fieri uulnus magnū. Tertio pp abūdātiā hūoꝝ:qa tūc fit melius euacuatio p uulnus magnū q̄ puū:sed uulnus puū fit cū ē uirtus debilis:ut de spiritib⁹ & calore minus euacuet̃:& i tpe calido eadē de cā: & qn̄ ē sāguis subtil̃.

Sāguine subtracto sex horis est uigilādū.
Ne somni fumus ledat sensibile corpus
Ne neruū ledas non sit tibi plaga pfunda
Sāguie purgatus nō carpas ptinus escas.

In hoc passu autor tangit tria cōsiderāda circa fleubothomiam. Primū ē φ fleubothomatus nō debet dormire imediate post fleubothomiā:nisi ad min⁹ trāsiuerit sex hore:& hui⁹ subdit autor cām ne fumi:q.s.i sōno cānt̃ moti ad caput ledāt cerebrū:alie tn̄ pn̄t assignari cāe:qꝝ.Pria ē ne i sōno uertat se patiēs supra brachiū fleubothomiaꝝ:& p hoc ledat̃. Scd̄a ē:ne hūores i sōno fluāt ad mēbrū lesū i quo est dolor pp ictū fleubothomi & fiat apostēa:uñ Gal̃.ii.āph.sup illo āpho.i quo morbo:uult φ i sōno si fiat apostēa itra corp⁹ aut mēbrū sit lesū ad ipm fluūt hūores:Aui.uero aliā assignat cām,s.φ p talē sōnū posset accidere cōfractio mēbroꝝ.Et istius cā pōt eē:qa sicut:scd̄m Gal̃.sup illo āpho.i quo morbo &c.sōnus i pricipio poxismi nō cōpetit:qa calor natural̃ ad iteriora regredit̃:& exteriora ifrigidāt̃:& fumi remanēt nō cōsūpti:pp φ rigor augmētat̃ & poxism⁹ ēt plōgat̃:sic ēt fumi p cōmotionē hūoꝝ & i fleubothōia ad neruos & ad lacertos eleuāt̃ q nō cōsūpti remanētes i sōno ifrigidāt̃ i exteriorib⁹ & igrossāt̃ & iō faciūt ad neruoꝝ & lacertoꝝ cōfractionē si fiat supdomitio imediate p⁹ fleubotōiā:alia cā pt eē:qa mām ē igrossās ē faciēs cōfractionē:sic i qrtana i cui⁹ typo fit cōfractio pp frigiditatē & grossiciē māe sed nerui & lacerti sūt frigi.iō ad ipos ueniēs iste fum⁹ i sōno i quo fit retractio caloris ad iteriora ifrigidat̃ & igrossat̃:& iste fum⁹ ifrigida

tus & ingrossatus frigiditatē & īgrossationē īducit ī mēbro siue cō fractionē:siue ad mēbrū cōsimile ꝑperāt egritudines consimiles.Et istud uerꝫ est de somno fleubothomie uicino & nō de remoto postq̄ fumi illi fuerint cōsūpti.Secūdū ꝙ dicit est ꝙ fleubothomās debet cauere ne faciat nimis ꝓfundā apturā ī minutione:ita ꝙ cū fleubo/thomo ledat neruū uel arteriā uene suppositū:nā ex lesione nerui se quit̄ spasmus:ex quo ulterius acerbissima mors sequit̄ uel ad min⁹ ꝑditio mēbri:puta brachii uel digiti &c.Ex lesiōe arterie sequit̄ flu xus sanguis arterialis difficilime curabilis.Tertiū ē ꝙ fleubothoma tus nō illico.i.īmediate post fleubothomiā cibum sumere debet:sed debet expectare quousq; ī eo humores fuerint quieti:ne cib⁹ añ eius digestionē ad subueniēdū mēbro leso cū sanguine simul attrahat̄.

Hic autor pōit.v. uitāda ab ipso fleubo tomato quorꝫ. Primū est ꝙ fleubothomatus debet uitare lac & la/cticinia cuius cā ē: qa ex cōmotione humorꝫ ꝑ fleubothomiā sepe fluūt hūores aliq ad stomachū:si ergo lac sumeret̄ ex cōmixtiōe il/lorꝫ humorꝫ lac ī stomacho corrūpet̄ ex quo de se maxīe corruptibi le ē:iā & lac ꝑꝑ dulcedinē eius posset trahi īdigestū ad uenas:& ꝑꝑ cōmotionē hūorꝫ facile corrūpi.Secūdū est ꝙ fleubothomatus de/bet cauere a potu nimio:qa ꝑꝑ euacuationē uenarꝫ talis potus tra/heret̄ facile ad uenas īdigestus:ꝓut prius dictū est. Tertium est ꝙ fleubothomatus debet uitare oīa frigida tā intus sumpta quā exte/rius adhibita:puta cibaria multū frigida:aerē frigidū: balneū frigi dū:tenuitatē uestiū:sessionē supra petrā:frigiditatē capitis uł pedū

Omnia de lacte uitabis rite minute:
Et uitet potū fleubothomatus homo
Frigida uitabis qa sūt inimica minutis
Inter dictus erit minutis nubilus aer.
Spiritus exultat minutis luce per auras
Oibus apta quies est:motus ualde nociu⁹

qa cũ calor naturalis p fleubothomiã debilitatus est:corpus facile supflue ĩfrigidaretur. Quartũ ẽ ꝙ fleubothomatus nõ debet ãbulare ĩ aere tenebroso nebuloso turbato:qa talis cõtristat aĩam|& pigritiã ĩ corpib⁹ ĩducit:ut prius dcm̃ ẽ ibi:aer sit mũdus:nã tristitia cã ẽ sãguis melãcolici:sed debet ãbulare ĩ aere claro & lucido:qa in tali aere spũs uitales naturales & aĩales recreãtur & ad extra mouẽtur cõgaudẽtes sibi. Quitũ est ꝙ fleubothomatus debet q̃rere qctẽ tpatã:silr & motũ excessiuũ uitare:qa motus excessiuus tũc maxĩe debilitat & humores cõmouet:qes uero tpata motũ sedat.

Principio minuas in acutis peracutis
Etatis medie multum de sanguine tolle
Sed puer atq; senex tollet uterq; parum
Ver tollat duplũ reliquũ tp̃s tibi simplũ.

Hic autor dicit q̃tuor. Primũ est ꝙ fleubothomia faciẽda est ĩ prĩcipio egritudinũ p acutaꝝ.i.maxĩe acutarũ|q̃.s.terminãtur ĩ die q̃rta:qa tales sunt breues:nec dãt inducias:& iõ a prĩcipio medicãde sunt. Secũdũ est ꝙ ĩ etate media.s.q̃ est a.xxx.ãno usq; ad.xlv. uel.l.ãnũ plus de sanguĩe extrahẽdũ ẽ q̃ ĩ aliq̃ aliaꝝ etatũ:qa ĩ tali etate maxĩe multiplicatur sanguis:& ei⁹ subtractio nõ ĩpedit augmẽtũ:nec diminuitur uirt⁹ corpis:qa corp⁹ ĩ tali etate nõ augetur neq; diminuitur sensibilr:sed stare ur̃. Tertiũ ẽ ꝙ senes & pueri parũ fleubotomãdi sũt:qa ĩ pueris sanguis multus reqritur pp nutritionẽ & augmẽtationẽ ĩ eis. Et ĩ senib⁹ uirt⁹ ĩcipit debilitari. Quartũ est ꝙ ĩ uere dupla quãtitas sanguĩs abstrahẽda est p fleubothomiã respectu alioꝝ tẽpoꝝ:cuius rõ est:qa uer est tp̃s maxĩe multiplicatiuũ sanguĩs:scd̃m oẽs autores medicine. Circa primũ dictum pro maiori declaratiõe ponẽde sunt aliq̃ regl̃e circa fleubothomiã: quaꝝ prĩa est ꝙ ĩ prĩcipio morbi nõ est faciẽda fleubothomia. Medicus.n.est minister nature:scd̃m Gal̃.ĩ tegni.cã.illo. Oĩum natura

opatrix:Medicus uero minister:sed scđm Gal.iiii.ampho.in cō.il/
lius:egritudib⁹ qbuscūq; icipiētib⁹ nulla euacuatio ī pricipio mor
bi est naturalis:sicut ergo natura ī pricipio morbi non euacuat:ita
nec medicus.Istud tñ ī tribus casibus hēt instātiā.Prīo ī materie fu
riositate:uñ Aui.loco sæpe alle.uult ꝙ ī principio morbi fleubotho
mia non debet fieri:qa fleubothomia hūores cōmoueret & subtilia
ret & currere p corpus faceret nisi materia sit furiosa.Scđo hēt in/
stātiā ī materie multitudīe.uñ Gal.sup illū ampho.Ichoātib⁹ mor/
bis uult ꝙ oportet fieri fleubothomiā aut farmaciā ut natura alle/
uietur:q̄.s.onerata ē pp materie multitudinē.Tertio hēt instātiā in
morbi magnitudīe & acuitate:ut qñ ē apostema magnū & doloro
sū:licet nō sit multa materia.s.añcedētis ī corpe.uñ dicit Gal. xiii.
megategni.Si apostema sit magnū fleubothometur ī pricipio:licet
nō sit materie multitudo ne crepet aut apiatur apostema añ sui ma
turationē.Ergo ut mala sinthoma uitētur minutio ē faciēda. Scđa
regula ē ꝙ nō fiat fleubothomia ī die motus egritudīs:sicut in crisi
nō ē faciēda fleubothomia:nec aliq̄ euacuatio:ne materia a loco ad
quē natura mittit ip̄m diuertatur:silr neq; ī poxismo:uñ scđm gal.
.i.āph.In statu/neq; fleubothōia/neq; farmacia fieri debet:qa ī eo fit
coctio morbi:q̄ melius fit ī qete q̄ motu:sed sicut se hēt stat⁹ad mor
bū totalē:ita poxismus respectu dieꝝ iterpolatōis:sicut ergo ī statu
nō ē euacuādū:ita nec ī poxismo. Tertia regula ē ꝙ fleubothomia
nō est facienda ī pricipio morbi:cū crisis est remota:qa scđm Isaac
in urinis sanguis ē fundamtū caloris naturalis ip̄m.s.sustinēs:licet
cor sit fundamētū gñans:& spūs fūdamētū deportās:sed sanguis ē
fundamētū caloris naturalis:qa ex eo materialr gñatur calor natu
ralis:& iō aliqs sanguinē euacuādo euacuat calorē q materiā mor/
bi hēt digerer:& p cōseqns morb⁹ plōgatur & uirt⁹debilitatur:pp
ꝙ timēdū ē ne pp longitudinē morbi & debilitatē uirtutis natura

succūbat. Quarta regl'a est ꝙ i corpe hn̄te fecē i itestinis nō debet fieri fleubothomia:cuius cā est:qa tria sunt attrahentia.s.calidū:uacuū & tota spēs. Quia ergo ꝑ fleubothomiā uene euacuantur q̄ a mēbris sibi ꝓpinqs attrahūt:& ita meseraice a stōacho:uēter plꝰ cōstipatur:&materia cōtēta i uenis plus ificitur:& meseraice attrahūt hūiditatē secū:& feces plus desiccātur.Debet ergo uēter prio leniri ut ꝑ suppositoria aut clisteria:nisi ꝑ se laxetur.Quita regl'a ē ꝙ nō debet fieri fleubothōia multa:qa ex hoc malū accidit i senio.s.multi morbi mali sicut epilēsia appoplexia & paralisis:qa ꝓꝑ remotionē sanguis:& caloris gn̄antur multe supfluitates fleumatice q̄ sunt causebaꝝ egritudinū. Sexta regl'a est ꝙ nō debet fieri fleubothōia in muliere mēstruata aut ipregnata.In ipregnata nō debet fieri:qa per hoc calor digerēs cibū diminueretur & nutrimētū fetus auferretur:& maxie qn̄ fetus est magnus cū tūc idiget āpliori nutrimēto.Et istud dicit Ipo.v.āpho.In mēstruata uero naturalr̄.s.scd̄m reuolutionē mēsis nō debet fieri fleubothomia:qa i fluxu nimio mēstruoꝝ esset faciēda ad diuertēdū materiā:sed qn̄ eueniūt naturalr̄ & scd̄m debitū cursū nature tūc nō debet fieri fleubothōia:cū materia euacuetur sufficienter a natura:& natura nō debet diuerti ab opatiōe.Septia regl'a ē ꝙ post colericā passionē nō debet fieri fleubothōia.Cū.n.fleubothomia cōmoueat hūores ꝑ hoc posset humor colericus ad stōachū fluere & ipm iflāmare:nec debet fieri post uomitū ne silr̄ hūores fluāt ad stōachū:neqꝫ post fluxū uētris:neqꝫ post uigilias magnas:neqꝫ post motū fortē:& breuiter nec post ullū calefaciēs multū:aut multū dissoluēs:qa fleubothomia hūores plus cōmoueret & uirtutē magis debilitaret.Deiñ uidendū est i qbus hoibus cōpetit fleubothomia:& pro illo ponende sunt aliq̄ regule:qꝛ. Pria est ꝙ fleubothomia cōpetit hoibus delicatis ociosis & qescētibus:multū carnosis:& cibis multū sanguinē gn̄antibus utentibus:

Secũda regula est q̧ fleubothomia cõuenit illis in q̄bus est abũdã tia sanguis: q̧ cognoscitur p̱ uríe spissitudinẽ. Abũdãtia.n.sanguis facit eã spissam: sed colerã subtilẽ. Tertia regula ẽ q̧ fleubothomia debet fieri in illis in q̄bus melãcolia abũdat. Vñ cũ est multa melã colia naturalis currẽs cũ sanguine p̱ totũ corpus: q̄a sanguis ĩ epa te ab ea mũdificatur: tũc cõpetit fleubothomia siue minutio postea farmacia. Vñ duplex est melãcolia: naturalis & ĩnaturalis: naturalis est fex sanguis: q̃ qñ abũdat ip̄a ẽ currẽs cũ sanguine q̃re cũ sãgui ne p̱ fleubothomiã euacuatur: iõ faciẽda ẽ fleubothomia ad ei⁹ eua cuationẽ cũ sanguĩe/ab eodẽ.n.calore.s.calore tp̱ato fiũt sãguis & melãcolia/q̃ est eius fex/& postea faciẽda ẽ farmacia. Quarta regu la est q̧ in illis in q̄bus timetur hũoꝝ ebullitio/cõturbatio & calefa ctio/cõpetit fleubothomia/& isti statĩ qñ sentiũt se calefieri debent fleubothomari cũ sit timor ebullitõis cõturbatõis & calefactionis: pp̱ hũoꝝ abũdãtiã. Aliqñ tñ aliq̄ decipiuntur p̱ istã regulã/ q̄a statĩ qñ sentiũt calefactionẽ & timẽt de hũoꝝ ebullitõe statĩ fleubotho/ mãt se. Et qñ istud est ex colere calefactiõe & incẽsiõe/p̱ fleubotho/ miã nõ cessat calefactio nec ebullitio: immo p̱ hoc augmẽtatur: q̄a fleubothomia humores cõmouet: & p̱ corpus currere facit. Et ergo nõ cõpetit fleubothomia nisi hoc sit ex abũdãtia humoꝝ q̄d cogno scitur p̱ sudoris multitudinẽ & maxime in mane. Aliq̄.n.sunt q̄ nõ sudant nisi qñ euacuatiõe indigent. Quinta regula est q̧ illis debet fieri fleubothomia qui hñt uirtutẽ fortẽ & qui sunt sanguinee cõ/ plexionis non frigide & sicce. Vnde Rasis.vii.almã. Corpora apta ad fleubothomiã & quæ habẽt uenas amplas & manifestas & cor/ pora pilosa & bruna & ex colore rubeo & fusco mixtis sunt colo/ rata: & iuuenes & adolescentes & senes nõ decrepiti/sed pueri & in firmi non sunt minuendi nisi magna urgẽte necessitate/& plurime istaꝝ regulaꝝ corriguntur ex Aui.iiii.in de fleubothomia.

Estas uer dextras: autũnus hyemsq; sinistras
Q uatuor hec mẽbra. cephe. cor. pes. epar uacuãda
Ver. cor. epar estas. ordo sequens reliquas.

Hic põit autor aliq̃ cõcernẽtia mẽbra euacuãda fleubotomia: & dicit. Prĩo q in uere: & estate debẽt euacuari uene dextre: ut dextre manus uel dextri brachii uel pedis. sed i hyeme & autũno debẽt fleubothomari uene sinistre. s. sinistre manus uel sinistri brachii uel pedis. Et istius cã põt eẽ: qa uer est multiplicatiuũ sãguis & istas colere: ergo i uere & estate debẽt euacuari ille uene i qb9 magis abũdãt sanguis & colera: sed ille sũt uene dextre: qa i pte dextra corpis situatũ est mẽbrũ generatiuũ sãguis. s. epar & receptaculũ colere. s. cistis fellis. Sed autũnus est generatiu9 melãcolie q̃ ẽt coaceruat & nõ resoluit p hiemẽ: ergo in autũno & hyeme debẽt fleubothomari ille uene in qbus magis dñat melãcolia q̃ sũt uene sinistre cũ in sinistra pte corpis cõtineat splẽ: q est receptaculũ melãcolie. Scđo dicit q ista q̃ttuor mẽbra. s. cephe. i. caput. cor. pes. & epar. scđm. iiii. ptes anni sũt euacuãda: cor qdẽ i uere, epar i estate: caput i hyeme & pedes in autũno.

Dat saluatella tibi plurima dona minuta
Purgat epar. splenẽ. pectus. pcordia. uocẽ
Innaturalem tollit de corde dolorem.

Hic tangit sex iuuamẽta pueniẽtia ex fleubothõia uene q̃ dr saluatella: & est uena i dorso manus i loco q̃ ẽ iter auricularẽ digitũ & medicũ. Primũ ẽ q ipa purgat epar. Scđm ẽ q ipa mũdificat splenẽ. Tettiũ ẽ q mũdificat pectus. Q uartũ ẽ q pseruat pcordia. i. orificiũ stõachi a nocumẽto. Q uintũ est q aufert nocumẽta uocis. Sextũ est q aufert dolorẽ inaturalẽ cordis: & rõ oĩum iuuamẽtoꝝ est: qa pdicta uena ab oĩbus istis locis sanguinẽ euacuat: ut postea etiã patebit: pro maiori declaratiõe pdictoꝝ: sciẽdũ est q in fleubothomia aliqñ aperiunt uene & aliqñ arterie. In aptione aũt arterie est timor: & huius

cã potissima est nimius fluxus sanguis:q duplici cã hēt fieri i fleu/
bothomia arterie. Vna cã est caliditas uehemēs sanguinis arterialis:
calidū.n.est facile mobile & arteriā dilatans & aperiens: & iō iuuat
multū ad euacuationē sanguinis ī fleubothomia arterie. Secūda cã
est arterie mobilitas & iō tardius in ea uulnus curat' cū uulnera nō
sanant' nisi quiescāt ꝓdest tñ ista fleubothomia tripliciter. Primo cū
est in corpe sanguīs subtilis abūdātia. Secūda qñ uaporosi. Tertio
qñ calidissimi:sāguīs.n.súbtilis:ex quo calor naturalis & spūs fiūt:
habitat in arteria sed sanguis grossus:ex quo mēbra nutriunt' in ue
nis:silr sanguis uaporosus in arteria cōtinet':& sanguis sanguineus
in uenis:sanguis etiā calidissima qui a corde efficit' & digerit':qđ ē
calidissimū mēbrū etiā continet' in arteria:alius aūt sanguis in ue/
nis. Secūdo sciēdū ꝙ uenarꝝ aptio est in multis mēbris:aliqñ ī bra/
chio siue manu magna:aliqñ in parua aliqñ in pede aliqñ ī naso:ali
qñ in fronte:aliqñ in labiis:aliqñ in lingua siue in palato:aliqñ ī an
gulis oculorꝝ uersus frontē:in manu maiori q̃ est ab ascellis usqꝫ ad
cubitos sunt qnqꝫ uene apiēde scđm Rasis. vii. almā. & Aui. lo. p̄al.
Vna uocat' cephalica q̃ ē uena capitis. Secunda basilica q̃ est uena
epatica. Tertia mediana siue cordiaca siue nigra:scđm ꝙ uocat' ab
Aui. siue matrix:sicut uocat' a Rasi. Quarta ascellaris:& qnta funis
brachii:in manu minori ē sceiles siue saluatella:& ī brachio scđm ꝙ
cōtinet maiorē manū & minorē sunt apiende sex uene:cephalica a
partibus q̃ sunt supra collū euacuat:& iō passionibus capitis ualet
ut in emigranea:mania:& ī aliis calidis passionibus siue ex materia
calida:uñ & ista īcipit siue orit' ab hūero & tēdit uersus ptē sinistrā
brachii:basilica euacuat īmediate a partibus sub collo ut a pectore
& epate:uñ in passionibus pectoris & epatis & similiū ualet:uñ ua
let ī pleuresi:& īcipit ista ab ascellari & tēdit ad ptē domesticā bra
chii:mediana uero est media inter duas p̄dictas in situ & in cōposi/

tione:qa ex eis cōponit̄:est.n.ramus utriusq;.Et est ēt media in eua cuatione:qa undiq; euacuat & ab inferioribus partibus sub collo:& a collo:& supra collū.Vñ est uniuersalis toti corpi in euacuādo:nō uniuersalis sicut dicunt quidā qa a corde orit̄:sed qa ramus est ce-phalice & basilice:Et ergo cū uolum⁹ fleubothomare de cephalica: & nō apparet:debemus accipe magis medianā q̄ basilicā:& silr cū uolumus fleubothomare basilicā & nō appet magis debemus fleu-bothomare medianā quā cephalicā qa magis cōuenit cū utraq; quā una cū alia:cū sit ramus istaꝝ/& ista extrema/sceiles siue saluatella ē uena que est iter auricularē & mediū/tendens plus uersus medicū digitū & orit̄ a basilica/& ista apit̄ in dextra manu i opilatione epa tis & in sinistra manu in opilatiōe splenis/& q̄re hoc fit nescit̄ rōne: sicut dicit Aui.sed expiētia:hāc.n.inuenit Gal̄.p somnū:ut ipse di-cit:qa hēbat quēdā in cura hñtē opilationē epatis & splenis:& som n abat se fleubothomare patientē de illa uena:& sic fecit & curatus est:de ista fit fleubothomia ponēdo manū i aq̄ calida:qa subtilis ē: ideo ut ingrosset̄ & dilatet̄ & ne uulnus claudat̄ citius debito:& ut sanguis grossus subtiliet̄:ascellaris est illa q̄ posita est sub basilica: & illa apparet i ligatura brachii:& de ista idē est iudiciū cū basili-ca:humis brachii est illa q̄ est supra cephalicā siue os ultimū siue al tius brachii uersus ptē silue strē:& est idē iudiciū de ista &de cepha lica:licet ergo scd̄m Aui.& Gal̄.in aptiōe uene fit euacuatio uniuer salis a toto corpe:nō tñ ab oibus uenis eq̄liter:ut uisum est:licet ēt uene a toto corpe euacuēt:nō tñ i eis est timor eq̄lis:imo cephalica scd̄m Ra.vii.almā.est securior:& basilica est magis timēda:& car-diaca ēt multū est timēda:licet minus q̄ basilica:cephalica est secu-rior/qa neq; iuxta eā est neruus neq; arteria neq; sup eā:sed sub car diaca est neruus & altius supra eā est neruus subtilis:iō timēdū est n. incidat̄ neruus:basilica est periculosa ualde:quia est sub ea arte-

ria & iuxta eã est neruus & masculus:& iõ est timẽda ualde sceiles siue saluatella nõ est piculosa:sed tamẽ subtilis ẽ:& iõ ut apiatᷣ:melius est ꝙ ponatᷣ ĩ aq̃ calida.In pede sunt tres uene.s.sciatica:sophena:& uena poplicis:& hee apiuntᷣ cũ uolumus trahere sanguinẽ ad partes ĩferiores ut ĩ ꝓuocatiõe mẽstruoꝝ & illa que est ĩ poplice secũdũ Aui.magis ualet q̃ sophena aut sciatica:quia ꝓpinqor est matrici:& iõ meliꝰ põt ab ea trahere:sophena uero a uirga testiculis & a mr̃ice sanguinẽ attrahit:sed sciatica ab anchis renibus & mẽbris que sunt situate uersus ptẽ siluestrẽ melius trahit:sophena uero & a mr̃ice a mẽbris positis uersus ptẽ domesticã licet sint rami unius uene:ĩ medio frõtis est uena una q̃ apienda est in antiq̃tis passiõibꝰ faciei ut ĩ morphea & ĩpetigine scabie & ĩ passionibꝰoculoꝝ:prius tñ debet fieri minutio de cephalica:& sil'r est una uena ĩ naso:& ĩ utriusq; aptiõe debet collũ ligari:& postea apiri una añ aliã:p ligationẽ enĩ colli melius manifestatᷣ.In aliis etiã sũt uene q̃ apiũtur pp apostemata exĩstẽtia ĩ hore aut gingiuis:cephalica tñ prius minuta ĩ palato sunt q̃ttuor uene:que si apiantᷣ ualent fluxui reumatis & ad dẽtes in eis faciẽtes dolorẽ:& iste uene sunt manifeste & debent apiri materia digesta:itẽ quedã sũt uene ĩ ãgulis oculorũ uersus frõtẽ:& apiũtᷣ in passiõibꝰoculorũ:cephalica prius minuta:itẽ q̃dã sũt uene sub ligna q̃ apiuntᷣ ĩ squinantia:cephalica prius minuta:itẽ uene q̃ sunt in timporibus ĩciduntᷣ pp emigraneã:& pp dolorẽ magnũ capitis:& egritudinẽ capitis diuturnã:& iste sũt q̃s uocat Ipo.& Aui. Iuuenales:q̃rũ ĩcisio reddit hoĩem ĩpotẽtẽ generare:itẽ ĩ collo ẽt sũt uene q̃ uocãtur guides q̃ minuẽde sũt ĩ prĩcipio lepre:& maxĩe qñ anhelitus angustatur:uñ ĩ squinãtia ĩpediẽte anhelitũ minuũtur.

In hoc passu autor duo notat.Primũ ẽ ꝙ si dolor capitis accidat

Si dolor est capitis ex potu limpha bibatᷣ
Ex potu nimio nam febris acuta creatur.
Si uertex capitis uel frons estu tribulentᷣ.

Tipora frôsq; simul moderate sepe fricētur
Morella cocta nec non calidaq; lauentur.

ex potu nimio & maxime uini uel alicui⁹ alterius pot⁹ quo cōtingit hoīes inebriari:tūc supbibi debet aq̄ frigida q̄ sui frigiditate atq; igrossatōe ipedit ne fumi ex tali potu eleuati cerebrū ledāt uel ad ipm eleuētur. Scdm ē ꝙ si fūitas capitis ul' frōs nimio calore uexetur tūc d'bēt tīpora & frōs moderate fricari:& postea dbēt ex aq̄ decoctōis morelle calida lauari:qa morella q̄ a cōib⁹ medicis solatꝝ dr hēt ifrigidarī:qa frigida ē.

Tēporis estiui ieiunia corpa siccāt.
Quolibet ī mēse cōfert uomit⁹ quoq; purgat
Hūores nocuos stōachi:lauat ambitus oēs
Ver autūnus hyems estas dn̄atur in anno
Tēpore uernali calidus fit aer humidusq;
Et nullum tp̄s melius fit fleubothomie.
Vsus tunc hoī ueneris cōfert moderatus.
Corporis & motus uentrisq; solutio sudor
Balnea purgentur tūc corpa cū medicinis
Estas more calet sicca nascatur in illa.
Tūc quoq; p̄cipue colerā rubeā dominari.
Hūida frigida fercula dētur:sit uen⁹ extra
Balnea nō psunt:sint rare fleubothomie.
Vtilis est reqes:sit cū moderamine potus

In hoc passu autor plura notat. Primū ē ꝙ ieiunarī multū exsiccat corpa in estate qa ex quo estas de nā ē calida & sicca ipsa resoluit hūiditates corpis:q̄ ēt resoluūtur p sudores ī estate mltiplicatos: & sic supuēiēte ieiunio corpa pl⁹ exsiccātur: qa absente hūido cibali calor nr̄i corpis agit in hūiditates pprias ipsas exsiccādo:& ergo bn̄ dicit Ipo.vii.pti.ampho.corpibus humidas carnes hn̄tibus famē adhibere cōuenit. Fames.n.corpa exsiccāt Scdm ē ꝙ uomitus cōfert quolibet mēse:qa p uomitū euacuantur humores nociui cōtenti in toto ambitu stomachi:& istud ēt uoluit Aui.iii.in.i.c.xiii.de iuuamtis q̄ affert uomit⁹:cū dixit:ꝙ Ipo.p̄ce

pit uomitũ fieri bis ĩ unoquoq̃ mẽse.s.duob⁹ dieb⁹ cõtinuis:ut scđo die expellatur illud ꝙ prio die nõ potuit ĩpelli & ꝑ hoc scđm Ipo. cõseruatur sanitas:cũ talis uomitus mundificat stõachũ euacuãdo fleũa & colerã:stõachus.n.nõ hẽt aliqd ꝙ mũdet ipm sicut ĩtestina hñt colerã rubeã ipsã mũdificãtẽ & postea Aui.lo.ꝑal.põit pl'a alia iuuamẽta uomitus bñ facti:quoꝝ.Primũ ẽ ꝙ cõfert grauitati capi tis:& hoc ẽ ueꝝ qñ illa grauitas accidit ex materia hũorali uaporo sa ꝑueniẽte a stõacho & mẽbris ĩferioribus ad caput:si.n.grauitas corꝑis fieret a nocumẽto ꝓprio ipi⁹ cerebri:tũc uomit⁹ magis noce ret q̃ cõferret. Scđm ẽ ꝙ clarificat uisũ & hoc qñ obscuratio uisus ꝓuẽit ex materia uaporali ꝓueniẽte a stõacho ad ipsos oculos alias ãt nõ. Tertiũ ẽ ꝙ aufert fastidiũ.i.nauscã & abhominationẽ:remo uẽdo & euacuãdo hũorẽ a stõacho q ẽ cã fastidii.Quartũ ẽ ꝙ cõ/ fert ei ad cuius stõachũ descẽdit colera corrũpẽs ei⁹ cibũ.Quitũ ẽ qđ remouet abhomĩationẽ q̃ fit ꝑꝑ unctuositatẽ.Sextũ ẽ ꝙ remo/ uet cãm desiderii & illud ꝙ facit desiderare acutũ põticũ aut ace/ tosũ:qa uomit⁹ remouet cãm oĩum istaꝝ dispõnũ:iã remota cã re/ mouetur effectus. Septimũ ẽ ꝙ cõfert laxitati.i.cathecie q̃ ꝑcedit ydropisi:euacuãdo materiã tal' laxitatis & mũdãdo stõachũ.Octa/ uũ ẽ ꝙ cõfert ulcerib⁹ ĩ renib⁹ & uesicca diuertẽdo materias currẽ tes ad illa loca ad ꝑtẽ oppositã.Nonũ ẽ ꝙ ẽt cõfert leꝑ maxĩe qñ fit cũ uomitiuo forti:sicͤ elleboro:qa tal' uomit⁹ euacuat mãs q̃ sũt ĩ lo cis rẽotis & difficil' eradicatiõis:ex qb⁹ fit lepra:ẽt uomit⁹ corrigit digestionẽ primã:ex q̃ alie.digestiõis meli⁹ fiũt:uñ lepra peccat ĩ cor ruptiõe digestiue.Decimũ ẽ qđ cõfert malicie coloris ĩ cute ex ali/ quo hũore diuertẽdo ipm a cute.xi.ẽ ꝙ cõfert epilẽsie stõatice.eua/ cuãdo hũorẽ cõtẽtũ ĩ stõacho:ex cui⁹ effũatiõe cãtur epilẽsia.Duo/ decimũ ẽ ꝙ cõfert icterïcie:maxĩe illi q̃ ẽ ex opilatiõe.Nã ꝑꝑ motũ fortẽ ĩ uomitu:mã opilãs mouetur & remouetur a loco ĩ quo facie

bat opilationẽ.Siľr euacuatur materia fleumatica ꝑ uomitũ q̃ cõi
ter ẽ cã isti⁹opilatiõis.Decimũtertiũ ẽ qđ cõfert asmati euacuãdo
materiã ãñcedẽtẽ ex stõacho:q̃ fouebat materiã asmatis:& ẽt calefa
ciẽdo mẽbra spũalia & pulmonẽ:ex quoꝝ calefactõe seqtur cõsũ/
ptio supfluitatũ faciẽtiũ asma.Xiiii.ẽ qđ cõfert tremori & paralisi
euacuãdo materiã istaꝝ passionũ. Decimũqntũ qđ cõfert hñtibus
uiscera nigra magna sup ptes extrẽas:diuertẽdo hũores a ptib⁹ ex
tremis.Et licet uomitus debite mĩstratus ista cõferat iuuamẽta:sup
flue tñ factus mľta íducit nocumta:qa debilitat stõachũ & resoluit
ipm:& facit eũ aptũ ut materie fluãt ad ipm: & obest pectori & ui
sui & dẽtibus & ãtiqs capitis dolorib⁹ &c.Prout dicit Aui.iiii.í.c.
xiiii. Tertiũ qđ notat hic tex.ẽ qđ q̃ttuor sũt tpa ãni.s.uer estas au
tũnus & hyems:ꝓut mãifestũ ẽ:& iter ista tpa uer ẽ calidũ & hũidũ
& hoc respectu alioꝝ tẽpoꝝ:licet í se sit tp̃s tpamto attinẽs:ut uult
Gaľ.í de cõplexiõib⁹.Et ex isto seqtur qđ istđ tp̃s magis aptũ ẽ fleu
bothomie:qa magis ẽ mľtiplicatiuũ hũoꝝ q̃ alia tpa.Et ergo ẽt isto
tpe põt cõuenire moderatus usus coitus & motus tpatus: & uẽtris
solutio siue fluxus:& sudor tpatus:& siľr balnea tpata ad diminuẽ
dũ repletionẽ.Et ergo ẽt istud tp̃s aptũ ẽ ad purgationẽ corpis cũ
medicinis.Quartũ ẽ qđ estas calefacit & exsiccat:& ergo in ipa ẽt
mľtiplicatur colera rubea q̃ calida ẽ:& sicca:pp hoc ẽt í estate fercu
la debẽt eẽ frigida & hũida:ad remouẽdũ distẽpãtiã caliditatis &
siccitatis ex cõplexiõe estatis íductã:& debet fieri abstinẽtia coitus
cũ talia ẽt exsiccãt:& abstinentia a multis balneis:siľi de cã:& rara
fleubothõia:eadẽ de cã:nisi necessitas hoĩem cõpellat: & debet fieri
qes & paucus motus:qa qes hũectat & multus mot⁹nimiũ exsiccat
& debet hõ p̄dcõ tpe uti potu cũ moderamine & maxĩe frigido:qa
ex supflua sũptõe pot⁹frigidi pp aptionẽ poroꝝ aliqñ seqtur subi
ta ífrigidatio corpis uel palisis siue laxitas mẽbroꝝ uel mors subita
A qua nos defendat q eternaľr uiuit & regnat í secľa secľoꝝ:Amẽ.

Hoc opus optatur: quod Flos medicine vocatur.